

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparati mihi
Witzeb.
p. mat. 12. q.
p. hinc. 4. q.
Al. Joh. Reibel.
1624.

COLLEGII
DE SACRAMENTIS

Disputatio Nona,

De

BAPTISMI

Definitione, caussa Efficiente principali
& Ministeriali,

Quam

Annuente J E H O V A H

SUB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI

S. S. Theol. D. & P. P.

*In Collegio privato examinanda
proponit*

**M. TOBIAS Fleck Cüstrino-
Neomarchita.**

*Habebitur ad diem 8. IXbris horis pomeridianis
in Auditorio minori.*



WITTEBERGÆ,

Ex Officina Johannis Gormanni,

ANNO M. DC. XX.



VERBI VERITATIS ET
AFFLICTIONIS MINISTRO

Dn. M. IOANNI Glecken/

Ecclesiae Custrinensis ac Vicina-
rum Superintendententi; ut &
Dicastrij Ecclesiastici ibi-
dem Adlessori &c. suo ut na-
turâ ita amore Parenti.

Off. Filius

Autor & Respond.

Θεός Θεός.

Descensuri ad specialem Nov. Test. Sacramentorum ἐξήγησιν, primum de Baptismo videbimus; est enim hic prior sacra Cœnâ, idque ratione tergemina. 1. *Institutionis*; quippe statim sub Nov. Test. incipium divinitus institutus, cum Sacramentum Cœnæ Dominicæ immediatè ante Passionem Salvatoris nostri cœperit. 2. *Administrationis*; Divus enim Joannes & CHRISTI Discipuli baptizarunt sacra Cœnâ nondum instituta. Matth. 3. v. 6. Joan. 4. v. 2. &c. 3. *Ordinis*; Est enim Baptismus *prima janua & ingressus* in Ecclesiam Christianam. Et quemadmodum in Vet. Test. non nisi circumcisi participes reddebantur Comestionis Agni Paschalis. Exod. 12. v. 48 49. Ita non nisi baptizatis ad S. Eucharistiam patescit ostium. Circa *Ἀποστολική* verò hujus doctrinæ de Bapt. S. tria potissimum in præsentia introspiciemus. 1. *Definitionem*. 2. *Efficientem principalem*, & 3. *ministerialem seu instrumentalem causam*.

ΘΕΣΙΣ Ι.

Definitionem Nominis quod attinet, Baptismus dicitur & dicitur à Græcanica voce βαπτίζω, quæ deno-

A 2

tat

tat 1. in genere quamvis lotionem, sive illa fiat immergendo in aquam sive aspergendo, & ita intelligendum illud Actor. 1. v. 5. Sic baptismus nominatur lavacrum ab Apostolo. Ephes. 5. 27. Tit. 3. v. 5. Iam autem lavacrum non tantum dici, si quis totus, quantus est, in aquam immergatur, verum etiam si aqua super quempiam effundatur, id docetur Actor. 22. v. 16. Accedit & hoc, quod Græci legales & Judaicas lustrationes & purgamenta βαπτισμὸς καὶ βαπτισματα appellitarunt 4. Reg. 5. v. 14. Judith. 12. v. 7. Et apud Marc. 7. v. 4. dicuntur Pharisei, à foro venientes comedere, nisi baptizentur, hoc est, non nisi lotis manibus; cuius rei testis est locupletissimus vers. 3. Item habere illos baptismata calicum & urceorum & eramentorum & lectorum; unde etiam Baptistarum nomine insigniebantur. At hæc baptismata nihil aliud quam utensilium istorum lotiones & purgationes innuere, omnes intelligunt, qui modò quid intelligunt. Falsus itaque est Bellarm. lib. 1. de Baptis. c. 1. falsus Calvinus l. 4. Inst. c. 15. s. 19. dum contendunt voculam Baptismi simpliciter plenariam immersionem & intinctionem, non autem etiam aspersionem κρῖσις ac proprie denotare. Nos illi opponimus Agenda Ecclesie Mogunt. sub Archiepiscopo Sebast. Anno M. D. L I. edita, super quo videatur Tom. 5. Diss. Gieß. p. 282; Huic Tilenum in 2. parte Diss. Theol. pag. 683. 2. Metaphoricè sumitur vocabulum baptismi pro morte, Cruce & Martyrio, ut Matth. 20. v. 22. & Marc. 10. v. 38. Potestis baptisinate baptizari quo ego baptizor? & hunc Baptisimum

simum Sanguinis vocant. 3. Synecdochicè pro largis Spiritus S. donis; qui sensus est Matth. 3. v. 11. Act. 1. v. 5. quem Baptismum fluminis appellant. 4. Specialiter denotat primum N. Instrumenti Sacramentum, qui Baptismus fluminis nominatur; & hic fit immersione in aquam, sive affusione vel asper- sione aquæ, quæ significatio hujus loci est maxime genuina. Præter has equidem enumeratas magna sese offert series aliarum Baptismi appellationū tum D. Scri- pturæ tum PP. etiam: Sed ex lege Collegij nostri, & harum pauciorum pagellarum imperio breviores esse ju- bemur; quod si quis grata capitur prolixitate, consulat Rever. & Excell: Domini Præsidis Prælectio: super hoc Articulo.

I. I. Definitionem Nominalem rectè excipit Rea- lis, quam talem damus: Baptismus est prius Nov. Test. Sacramentum, quo immersione sive asper- sione aquæ in nomine Patris, Filij & Spiritus S. facta, homo per Spiritum S. regeneratur & re- novatur.

III. Remotum Definitionis Genus est, actio di- vinitus instituta; siquidem verbis describatur, quæ a- ctionem postulant, lavare, immergere vel aspergere. Propinquum est, prius N. Test. Sacramentum. Ubi nihil agunt, qui illud 1. Cor. 10. v. 2. nobis objectant; PP. scilicet Vet. Test. in Mose baptizatos fuisse in mari. Neq; enim B. Apostolus, nostrum Baptismum etiam in Vet. Test. extitisse, hisce assertum cupit; sed hoc unice unum intelligit, transitionem illam populi Israelitici

per mare rubrum hujus fuisse typum vel praefigurationem; quales plures habet D. Codex: Arcam Noe in universali Cataclysmo mirabiliter conservatam, Gen. 7. & 8. 1. Pet. 3. v. 20. Circumcisionem Gen. 17. v. 10. Coloss. 2. v. 11. Aquam super aram & holocausta ab Elia effusam. 1. Reg. 18. v. 34. Miraculosam Naamani sanationem 2. Reg. 5. v. 14. &c.

I V. *Questio hinc talis succrescit: An Lutheri Catechetica Definitio sit probanda? quam ita format: Baptismus non est simpliciter aqua, sed qua sit divino mandato inclusa, & verbo Dei comprehensa. Inventus est, praeter alios, Keckermannus, qui lib. 1. Syst. Log. p. 50. nigrum illi praefigit \odot , eo quod falsum & ex alieno predicamento desumptum Genus foveat; sed satis audacter, satis etiam temere. Nam bonus vir committit fallaciam Compos. & Divis. item secundum quid; quandoquidem Lutherus aquam non $\alpha\tau\lambda\omega\varsigma$ ac simpliciter, verum $\kappa\tau\tau$ & secundum quid, intelligat; quatenus aqua verbo Dei conjuncta, verbo videlicet & Institutionis Matth. 28. v. 19. & Promissionis Marc. 16. v. 16. id est, quatenus lavacrum aquae in verbo. Ephes. 5. vers. 27.*

V. *Efficiens Baptismi causa princeps est DEUS, sive tota SS. Trias. Ioannes enim non autoritate propria baptizavit. Ioan. 1. v. 33. Sed ex mandato Divino. Luc. 3. v. 2. Hinc CHRISTUS Baptismum Ioannis e caelo, metonymice, hoc est, a DEO fuisse dicit, non ex hominibus. Matth. 21. v. 25. & Pharisaica soboles cum ab ipso baptizari retractaret, dicitur CONSILIUM DEI sprevis-*

previsse adversus semetipsam. *Luc. 7. v. 30.* Deinde ipse-
met **CHRISTUS**, Baptismum suo ipsius exemplo ra-
tum fecit, quando à Ioanne baptizari voluit *Matth. 3.*
v. 13. Quid quod tota **SS. Trinitas** luculentissimo & evi-
dentissimo testimonio eundem comprobavit & confir-
matum reddidit, apertis cælorum fenestris quodam mo-
do conspicua.

Voce Pater, Natus corpore, Flamen ave, *ibid.*
v. 16. 17. Deniq; **SOSIA** Mundi **T. Opt. Maximus**,
postliminio gloriose suæ Resurrectionis, Discipulos suos
ac ipsorum successores per omnes terrarum angulos ba-
ptizare iussit: *Matth. 28. v. 19.*

VI. Damnandus itaq; & pie declinandus est **I.** Er-
ror Schwencofeldianorum, Anabaptistarum &
Judæorum, lavacrum hoc **SS. balneum suillum & ca-**
minum, ein **Säm** oder **Hundsbadt** appellitantium.
O blasphemia & polo & solo inaudita! O canes, o porci,
& quibus hoc sanctum, hæ margaritæ projiciantur, in-
dignissimi. *Matth. 7. v. 6.*

VII. **2.** Lucae Sternbergeri, qui ipsemet æstro
perculsus Satânico hæcete Satanicam ejaculatus est vo-
cem: Baptismum esse Institutionem Satanicam, eosq;
omnes qui eo utuntur, non nisi ad Tartarum & sempi-
ternam damnationem baptizari; uti ex Prateolo fide-
liter annotarunt Gies. tom. 5. p. 288.

VIII. Quæri hic solet: An **CHRISTUS** ipse su-
is baptizavit manibus? Ita quidem tenet Franciscus
Suarez. tom. 4. fol. 200. & sua sententiæ popularem
adducit Nicephorum, qui lib. 2. hist. c. 3. ex Epistola

Evodij refert, CHRISTUM manibus suis baptizasse Petrum, & hunc filios Zebedaei, eosq; cum Petro reliquos Apostolos, atq; hos ceteros Discipulos. At Nicephori testimonium obliterat illud Ioannis 4. v. 1. 2. Ut ergo cognovit JESUS, quia audierunt Pharisei, quod JESUS plures Discipulos facit & baptizat, quam Ioannes: quanquam JESUS non baptizaret, sed Discipuli ejus. Hic certe versiculus secundus rotunde inficiatur à Christo baptismum fuisse administratum; quod autem in priori dicitur baptizare ac Discipulos facere, ejus perpulchrum agit Interpretem Augustinus tractat. 5. 13. & 15. in Ioannem: Discipulis CHRISTI (inquit) baptizantibus, CHRISTUM dici baptizasse, quia illi ut ministri, hic ut autor Sacramenti; & illi tingebant, hic mundabat.

IX. Causas, cur CHRISTUS externam Baptismi administrationem intermiserit, has potissimum pia reddit Antiquitas. 1. ut ne ij, qui immediate ab ipso fuissent baptizati, majori & excellentiori beneficio macti putarentur, quam alij quos Discipuli baptizarent. 2. Ut sciretur, se baptizare Spiritu Sancto ministris externum duntaxat peragentibus ministerium. 3. quò dignationem & efficaciam Ministerij commendaret, testatumq; efficeret Baptismi vim atq; ἐνεργειαν non esse à Dispensatore sed ab Institutore. Sacramenta enim vera sunt, propter DEUM verum, cujus sunt, inquit August.

X. Instrumentum, quo Efficiens utitur, ordinariè est Minister ad publicam Evangelij prædicationem

nem legitime vocatus. Nam quibus CHRISTUS dixit
DOCETE, iisdem etiam dixit BAPTIZATE Matth.
28. v. 19. Hoc autem loco offerunt sese quaedam melioris
cognitionis atq; enodationis indiga; ea certis ζήτημα-
των repagulis contenta ordine penitusq; contemplabi-
mur.

XI. Primum igitur ζήτημα hoc est: An bapti-
zare ad Diaconos pertineat tantum extraordi-
nariè? Ita ajunt Papales, inter quos familiam du-
cunt Greg. de Valent. tom. 4. in Thom. fol. 790. &
Bellarm. lib. 1. de Baptis. c. 7. ubi vide. Verum recla-
mat tùm formula instituti Ministerij. Matth. 28. v. 19;
siquidem, cui integrum est publicitus docere, eidem et-
iam licitum sit ordinariè baptizare, ut in precedentè
Thesi dictum est; tùm Ministrorum æqualitas; ra-
tione nimirum jurisdictionis & potestatis. Eodem enim
Ministerio præest infimus Diaconus, cui summus Super-
intendens.

XII. Ζη. 2. Anne Laico βαπτισμός admit-
tendus fiet urgente necessitate? Eduxit, majorum
nostrorum memoriâ, Satanas infelicem Pepuziano-
rum factum, qui, testimonio Augustini de Heresi c. 27.
Sacerdotium adeò commune faciebant, ut eo etiam mu-
lieres ordinariè honorarent; in quorum sententiam, utâ
hodiè calumniantur adversarij, minime proficiscimur,
utpote non nescij quanta sit, aut esse debeat, apud omni-
nò omnes, publicæ, solemnæ & ordinariæ Sacramento-
rum administrationis religio.

A 5

XIII.

XIII. Loquimur autem de extrema extremo
necessitatis casu, hoc est, quando caremus Ministro,
& quando presentanea mortis apparent indicia, an sa-
tius sit, tum plane non baptizari, quam à privato homi-
ne, eoq; vel mare vel fœmina baptizari?

XIV. Calvinus negat lib. 4. Inst. c. 15. f. 20. 21. 22.
quem proretam suum sequitur Beza, dum ejusmodi
baptismum pro fabula habendum esse dicitur.

XV. Nos contra & pie statuimus, ut recte ba-
ptizari, dummodo Institutionis verba legitime obser-
ventur, ast non modo ordinario sed extraordina-
rio; nec publicis, sed domesticos intra parie-
tes, id quod seqq: argumentis defensum ibimus.

XVI. 1. Ab exemplo Circumcisionis à fœ-
minis in V. T. cogente necessitate administrata.
Quicquid in Circumcisione ratum fuit, id etiam in Ba-
ptismo ratum erit; Atqui Circumcisionis administratio
per fœminas, in casu necessitatis fuit rata. E. & C.

Majoris veritas pendet à ratione typi, quia Circum-
cisio figura fuit Baptismi, quid in locum ejus successit; Et,
teste ipso Calvino, olim Circumcisio idem omnino effi-
ciebat, quod nunc Baptismus. Assumptionem roba-
rat factum Ziporæ. Exod. 4. v. 25. & fœminarum Is-
raelitarum, 1. Maccab. 1. v. 63. 2. Maccab. 6. 10.

XVII. Calvinus quidem lib. 4. Inst. c. 15. f. 22.
& hujus pullus Bucanus p. 613. ad exemplum Ziporæ
excipiunt, eam ex stulta temeritate, & inexcusabili in-
dignatione filium circumcidisse; Verum non dicere

tantum

tantum, sed docere etiam oportet: Nos certe factum
hoc Iehova placuisse, exinde novimus, quia illo ipso pla-
catus Moſen dimiſit.

XIIX. 2. A prædicandi officio: Quicumq; poſ-
ſunt & debent Eccleſiam miniſtro ordinario carentem,
itemq; domesticos & alios, ſanos ſive agrotos docere, in-
formare, conſolari, ſi etiam poſſunt & debent baptizare.
Atqui perſona privata Chriſtiana illud poteſt & debet;
E. & hoc. Ratio procedit a paribus; de quibus idem
iudicium: Et: Quod licet in paribus comparibusq; li-
cet. Præterea ubi eſt caſus neceſſitatis, ibi com-
munis ceſſat ordo; quia ordo non dominatur, ſed
ſubſervit Sacramentis; quandoquidem ordo propter
Sacramenta, non autem Sacramenta propter ordinem
ſunt inſtituta.

XIX. Verum, ſunt qui reſerant, à Docere ad
baptizare N.V.C. permitti enim Studioſis quantum-
vis nec vocatis nec ordinatis in propatulo & ordinariis
templis concionari, baptizare non item. Iſ hoc reſponſi-
damus; rationem eſſe omnino diſparem; Concedi enim
prædicationem Studioſis exercitiij gratia; baptizatio-
nem autem, quia res facilis & nullius indiga exercita-
tionis, non permitti.

XX. 3. A neceſſitate ſummâ. Licitum eſt ur-
gente neceſſitatis alia extraordinarie agere, modo nihil
contra expreſſum Dei mandatum fiat: Eſt autem ex-
trema neceſſitas, cum hocce immediatum diſjun-

ctum

Etum obtinet; aut infantulo absq; Baptismo morien-
dum; aut Baptismus à Laico conferendus. Et sermo no-
bis est de necessitate consideratâ, non respectu DEI,
qui etiam citra baptismum regenerare possit, tanquam
liberrimè agens; sed respectu nostri, quibus incum-
bit necessitas Divino mandato de Baptismo administran-
do, obsequendi, modò ejusdem substantialia haberi que-
ant; ad quæ nequaquam requiritur, ut Sacramenti hu-
jus Dispensator, ministerio fungatur Ecclesiastico.

XXI. Bucanus pag. 612. ita nobis obbuccinat:
Ἰωαννοβαπτισμῶς ne γερὺ quidem in tota Baptismi hi-
storia occurrit, sed ejus usus à Marcione introductus
est, teste Epiphanio. Sed sciat iste, Marcionis teme-
ritatem, quia permiserat mulieribus, sine omni disci-
mine, baptizare, jamdudum à nobis explosam & exhibi-
latam; sciat etiam se rebus aliquid admentiri, admeti-
ri, inquam, hoc est, insignem facere Epiphanio injuriam,
quem allegat non eo, quo debuerat, candore, de quo fu-
sius Giesß. tom. 5. pag. 306. & seq. Ἰωαννοβαπτισμὸν
autem in sacris Scripturis suum habere fundamentum,
simul exemplis, simul rationibus ita probatum dedimus,
ut rectâ ratione insanire putemus, si qui iis adversum
contendant.

XXII. Pergit idem Bucanus loc. cit. Non ma-
gis Baptismi, quam Eucharistiæ, muliebris λειτουργία
vel administratio ferenda est. At committitur crassus
paritatis Elenchus; cum Baptismi Sacramentum magis
sit necessarium quam Cœnæ Dominicæ. Illud est ini-
tiationis, quo in Ecclesiam & Communionem Sancta-
rum

rum recipiamur, omniumque Spirituum aliorum bonorum con-
sortes reddimur, & sine quo non possumus intrare re-
gnum DEI. Iob. 3. v. 5. Hoc verò confirmationis,
quod quidem contemnendum non est; si autem haberi
nequeat, tum locus est Regulae Augustini. Crede &
manducasti.

XXIII. Ζη. 3. An hæreticus verum possit
conferre baptismum? Resp. Distinctim. 1. Quidam
Hæretici, ut Ariani, Macedoniani & Photiniani
negant Trinitatem adeoque ipsissima Baptismi substantia-
lia, & horum baptismus non est verus, sed blasphemus
& inefficax: sublata enim forma essentiali tollitur res
ipsa. 2. Quidam in Baptismi administratione plurimam
πρόεργον & superstitiosa fovent, in ejusdem tamen es-
sentialibus partibus nihil immutant; baptizant enim in
nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, ut sunt Roma-
nenses, quos hoc pacto verum baptismum conferre pro-
nunciamus.

XXIV. His positis commodum sequitur Ζη. 4. An-
ne Christiani liberos suos Pontificiis sacrificulis
tingendos offerre queant, idque illibata consci-
entia? Ubi iterum distinguimus. Hujusmodi enim ba-
ptismus aut est liber aut necessarius. Si poterit purus
ad manus haberi, non asciscendus est hæreticus Mini-
ster; Fit enim hoc non citra hypocrisecos suspicionem ab-
unde magnam, & infirmorum scandalum. Quod si
verò aliud suadet durum telum Necessitas, nec præsto est
sanioris ministerij usus, præmissa vel explicita vel saltem
implicita protestatione à sacrificulo Pontificio potest
peti

p. i. Baptismi administratio. Hæresis enim, cui addictus est Minister, veritati Baptismi contrarie non mutat vim Sacramenti; protestatio autem hypocrisis suspicionem elidit, & scandalum præcavet.

XXV. Zñ. 5. Non baptizatorum baptismus an sit legitimus? Affirmamus; si substantialia observentur; quandoquidem non à qualitate Dispensatoris, uti sæpius dictum est, pendeat Sacramentorum integritas; & Ioannes Baptista licet non baptizatus aliis contulerit baptismum.

XXVI. Zñ. 6. Num plures Ministri simul aliquem possint baptizare, ita ut alter aquam affundat, alter verba Baptismi recitet essentialia? Negatur. Forma enim baptismi est satis disertæ & clara: EGO te baptizo. Ergo ut verum dicat, necessarium est, unus idemq; minister utrumq; faxit officium tam aquam affundendi, quam verba substantialia proferendi.

XXVII. Zñ. 7. Sui ipsius an quis Baptista esse queat? Qui Negativam tenent, hisce nituntur rationibus. 1. Quia hoc fieret contra formam verborum; Quæ talis: Ego baptizo TE; non autem, Ego baptizo ME, &c. 2. Quia sic dualitas personarum, scilicet baptizantis & baptizandi tolleretur, quæ tamen diserte exprimitur in verbis Institutionis. 3. Quia, ut nemo seipsum potest generare, ita nec regenerare debet. 4. Quia ipsemet CHRISTUS à Ioanne baptizari voluit. Pro affirmativa hæc afferuntur. 1. Abrahamum seipsum circumcidisse. 2. Baptizantis qualitatem non esse de substantia baptismi. 3. Ministros sibiipsis S. Cœnam distribuere,

buere, cum tamen Baptismus, tanquam porta gratiae & Initiationis Sacramentum, Eucharistiâ magis ad salutem sit necessarius. Nos, quia ejusmodi casus, uti habetur in adagio, planè sit lac gallinaceum, hoc *ωγβλημα* in medio relinquimus, quamvis rationes pro Negativa adductæ nobis plausibiliores videantur.

XXIIX. Ζη. 8. & ultimum; Quid sentiendum de Baptismo ab Athanasio adhuc dum puero administrato? Nos, quia 1. à puero. 2. à non misso nec ad docendum nec baptizandum; & 3. extra evidentem necessitatis casum, administratus est, dicimus puerum puerilia tractasse, & imitatione planè indigna; licet huic facto presso faveat pollice Alexander Episcopus Alexandrinus, referente Ruffino lib. 10. hist. Eccles. c. 14. & Bellarminum lib. 1. de Baptis. sententiæ suæ rivalem habeat. Sed tantum est.

Δ Τ Θ Μ κ γ λ π.




... tamen Baptismus ...
... sacramentum ...
... necessitas ...
... ad gratiam ...
... in Verbo ...
... adhibere ...

XXIX. Quod ...
... Baptismus ...
... non ...
... ad ...
... necessitas ...
... adhibere ...
... adhibere ...

Baptismus ...
... adhibere ...
... adhibere ...

Δ Τ Θ Μ Ν Π






Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



REGII
AMENTIS
Nona
ISMI
Efficiente principali
teriali,
EHOVAH
ESIDIO
RIS MEISNERI
D. & P.P.
o examinanda
nit
Flect Cüstrino-
rchita.
Xbris boris pomeridianis
rio minori.
BERGÆ,
annis Gormanni,
DC. XX.

